

tur A C semidiameter terræ 860 mill. A M aggregatum Semid. terræ, & altitudinis Cometæ, quem supponimus in extremâ halituum crepusculinorum superficie versari, in distantia à centro terræ 884 mill. erit ut 860 ad 884, ita radius A C, ad A M secantem angul. M A C. 13 gr. 23 min. qui metitur arcum, M D. Cometæ Semidiurnum; quo duplicato 26 gr. 46 min. & in tempus converso resultat mora Cometæ supra horizontem 1 hor. 47. min. 4 sec. Cum tamen observatum sit hæcenus, plerosque Cometas motu primi mobilis supra vel infra Horizontem tantam moram traxisse, quantam alias Planetæ imò ipsæ stellæ fixæ inibi locorum constitutæ ad sensum trahere videntur. Et ut exemplum à nostro petamus, observatum est eum tertio post primam apparitionem die, ubi ad Æquatorem accessit, manè horâ quartâ occidisse, vespertino verò tempore horâ quintâ jam ultra 10 gradus altitudinis supra Horizontem elevatum fuisse, igitur calculo tantum  $\acute{\alpha}\lambda\omicron\chi\epsilon\gamma\omega\varsigma$  subducto apparet, Cometam eo die morâ suâ sub horizonte (tempore quod proprio motui & altitudini prædictæ respondet subtracto) non multò plus quam 12 horas insumsisse. Majoris tamen certitudinis gratiâ ponamus Cometam motu suo moram 12 horis majorem sub Horizonte, minorem verò supra Horizontem traxisse ad quantitatem semissis horarii, ita ut tùm temporis saltem 11 horas 30 min. in nostro hemisphærio permanferit, & apparebit, eum à vaporibus crepusculinis tantum abfuisse, quantum sufficit, ad liberum in æthere locum sibi vendicandum. Nam in eodem Schemate eum innotescat arcus Cometæ diurnus 11 hor. 30 min. sive 172 gr. 30 min. ejusque semissis F K 86 gr. 15 min. mensura anguli F A K Trianguli A C K ad C rectanguli, cujus A C semid. terræ nota, invenitur secans A K distantia Cometæ à centro terræ 15 semid. sive 12900 mill. quousque tantum abest ut pertingat sphaera vaporum & aëris refractivi, ut quingentis vicibus, & quod adhuc excedit, inferior à prædicto Ricciolo, tùm ab aliis etiam, sit deprehensa. Ad locum spectat Plaga, in quâ oriri & in quam progredi solent Cometæ. Ea verò non omnibus eadem, sed aliis hæc, aliis illa solet esse, prout modo hîc, *modo* illic oriuntur, jam horsum jam illorsum progrediuntur Cometæ *modo*. Aristot. l. 1. meteor. c. 3. *ad austrum*, inquit, *multifacti sunt*. At Sene-